



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Studium puerilis catecheseos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

& versandum non secus, atq; vltimum nouitiorum præberet: quod Dilingani Collegij Minister (eo enim Canisius secesserat) quotidiano vsu cognoscere se, expeririq; testabatur. Nec Prouincialis Hoffæus, vti ex his; quæ deinceps dicentur, constabit, paratæ illi voluntati defuit: sed bonam semper ad exercendam se se, & cumulanda in cælo merita facultatem suggestit. Quod autem, vbi primum Dilingam secessit, vitæ genus instituerit, ex eius Collegij communibus literis iuuat describere, quarum particula est talis. His fratrum studiis non minima accessio facta est ex præclaris Seniorum Patrum in omni virtutum genere exemplis, præsertim autem ex Reuerendi P. D. Petri Canisij religiosissimo apud nos conuictu. Postquam enim is Pater difficillimo se Præpositi Prouincialis munere, quod circiter quatuordecim annos in hac Germania nostra præclare sustinuit, ob grauissimas alias à summo Pontifice sibi demandas occupationes superiorum nutu abdicauit, mirum quanta submissione, caritate, familiaritate nobiscum versetur, & agat. Nihil illi perinde gratum, & iucundum accidere potest, atq; tempus omne, quod necessariis studiis suffurari potest,

*Studia prae-
vtilis Cateche-
seos.*

test, puerorum, ac rudium, tam priuatæ, quàm publicæ institutioni impendere, domesticisque nostris necessitatibus, præsertim in excipiendis Germanorum confessionibus alacriter inseruire &c.

Porro quanquam se totum in Studiorum occupationes abdiderat, tamen vitari non poterat, quin, cum vndiq; ad caritatem, atq; sapientiam tantam, ac paulo ante tam promptam, atq; expositam omnibus, pristino more concurreretur, interdum in publicam lucem, operamq; retraheretur. Aberat Dilinga tridui itinere Matrona prænobilis, cui (quod nimium sepe vitio mortalium vsu venit) cum liberis suis annos complures conuenerat pessime: neq; dissidium per multos, & magni nominis arbitros ad cõcordiam vnquam reduci potuerat. Visum est tandem vtriq; parti quippe Catholici erant, Canisium euocare, eiusq; fidei, ac prudentiæ tanquam arbitro ac sequestri causam omnem permittere. Existimarunt Patres, quorum sine consilio, ac nutu nihil mouebat, non deferendum piam adeo causam, nec occasionem prætermittendam. Itaque Deo duce, quò vocabatur perrexit, pacem composuit, semina in

*Excursus ad
pacem concili-
andam.*